



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 48. Universa ferme Normannia ab Anglis subacta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

gina, semper inimica tam Armeniaco, Sæcul. XV.
 quam Delphino Filio suo, cujus assensu, A.C. 1417.
 licet decimum sextum duntaxat ætatis
 annum ageret, hanc sibi illatam fuisse
 injuriam noverat.

§. XLVIII.

*Universa ferme Normannia ab Anglis
 subacta.*

Armeniacorum consilia peropportuna
 acciderant Burgundiæ Duci, ut con-
 ciliatis sibi pluribus urbibus, earum ope
 Regi libertatem procurare posset. Ma-
 gna Campaniæ pars, Picardia, & Insula
 Franciæ Ducem ambobus brachiis exci-
 piebant, utpote qui cunctas pecuniarum
 exactiones abolebat. Hic ipse Corbe-
 lium obsidione cinxit, quam tamen brevi
 solvere coactus fuerat, ut Turonium ve-
 niret, ubi frequentius cum Regina col-
 loquebatur, quæ deambulationis obten-
 tu ad majus Monasterium vulgo *Mar-
 moutiers* dedita opera accesserat. De-
 mum etiam Burgundum Trecaus usque
 comitabatur, ab eoque temporis articulo
 regni administrationem sibi arrogabat.
 Interea vero Angli dissensionum oppor-
 tunitate usi, res suas continuato victoria-
 rum cursu plurimum augebant, suæ enim
 potestati subjecerunt Cadomum, Bajo-
 cum, Falesiam, Argentonium, Alenfo-
 nium,

Sæcul. XV.
A. C. 1417

nium, totamque ferme Normanniam, excepto Chereburgo, quod tribus omnino mensibus hostium impetus elusit.

§. XLIX.

Locus pro conclavi selectus.

*Vander
Hardt to. 4.
p. 1394.*

Cum omnia studia ad novi Pontificis electionem intenta essent, præprimis de loco ad proximum conclave opportuno Patres deliberabant, tandemque publicam Mercatorum domum (*) alias *Bursam* dictam designabant, nec dissentiente Imperatore; fors enim sibi persuasum habebat, providam hanc Patrum dispositionem haud obfuturam, quominus reformationis negotium ceteris præferretur. Ast non eadem erat Cardinalium sententia; hi enim, ut votis eorum intentus colluderet successus, nullum non movebant lapidem. Quinimo libellum quemdam sat contumeliosum divulgare ausi sunt, in quo Germanos velut Hussitarum fautores traducere non dubitarunt, eo quod Pontificis electioni obluctarentur, docerentque, quod Sede Apostolica certo vacante, Canones Papam eligi prohiberent, atque Ecclesia sine dispendio Acephala permanere valeret, donec reformatio

(*) *Legitur in actis Concilii: major domus Communitatis.*